



Disputatio juridica inauguralis de societate

<https://hdl.handle.net/1874/342422>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,

DE
SOCIETATE,

Q U A M,

PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JOANNIS GEORGII GRAEVII

Politices, Eloquentiae & Historiarum Professo-
ris Ordinarii.

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicī consensu, Nobilissimeque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PROGRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis
ritè & legitime consequendis,

Eruditorum examini subjicit

JOHANNES JACOBUS DE GEER, Ultraject.

A. D. 5 Maii, horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc Ic xc.

*Nobilissimis, Illustrissimis, Gravissimis
Viris, DOMINIS*

D^o. LUDOVICO de GEER,
Domino de Finspong^h, Rhijnhuysen
&c. Potentissimi Regis Sueciæ in Col-
legio Montium Confiliario ordinario.
Patri suo dilectissimo, honoratissimo,
omni filiali amore, obedientia & reve-
rentia in æternum venerando.

D^o. EMANUELI de GEER.
Domino de Leuffsta, Weesby &c. Pa-
tru^o suo semper quo par est honore pro-
sequendo.

D^o. CAROLO PARMENTIER,
Domino de Heeswijck, Achthoven &c.
In Curia provinciali Ultrajectina Sena-
tori ordinario. Collegii aggerum quæ
Leccam cingunt, Confiliario. Canoni-
co in Oudemunster, &c. &c. Avuncu-
lo suo optime de se merito, semper ho-
norando, colendo.

Hanc Disputationem sequit ipsum sacrum facit

JOH. JACOBUS DE GEER.

Auct. & Resp.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
SOCIETATE.
T H E S I S I.



Erbum *Societatis* non semper
contractum denotat, sed inter-
dum latius sumitur pro *omni vi-*
tæ consortio, & omni rerum
communione: Sic *socii* vocan-
tūr qui simul hæredes instituti
sunt, aut quibus una res legata
est, vel qui alio modo in com-
munionem inciderunt. *l. 6. s. 2. & l. 23. ff. communi*
divid. Sic *collegia & corpora* vocantur *societates*,
l. 1. pr. ff. quod cujusque univ. Etiam *matrimonium*
vocatur *societas vitæ l. 1. ff. de act. rer. amot.* Item
socii criminis vocantur *complices*, *l. 37. Cod. de*
liberal. causa. Sed omnia hæc improprie, ideo-
que *societas* de qua hic agitur, alii quoque commu-
nioni opponitur. *l. 31. 32. ff. b. t. l. 23. de reg. jur.*
& sic definiri potest.

A 2 Socie-

DISPUTATIO JURIDICA

I I.

Societas est contractus juris gentium, nominatus, bonæ fidei, consensu constans, quo rei vel operæ communio contrahitur ad participandum lucrum & damnum. Est contractus: quod probatur per l. 19. ff. de verb. sign. Est contractus juris gentium, §. 2. Inst. de I. N. G. & Civ. Nominatus, l. 7. ff. §. 1. de paet. bonæ fidei §. 28. inst. de action. consensu constans l. 2. pr. ff. de obl. & action. Materia cujus societas contrahi potest est res & opera. Finis est quod societas ineatur lucri & quæstus gratia. Effectus principalis, ut lucrum & damnum communicetur, quæ singula accuratius examinabimus.

I I I.

Consensus est vel expressus vel tacitus. Tacite initur societas per actus & facta quæ non possunt fieri aut subsistere citra jus & nomen societatis: ut si duo unam eandemque rem emerint; vel si lucri & damni communicatio facta fuerit, quibus in casibus societatem contraxisse videntur, nisi appareat illos aliud sensisse. l. 31. ff. h. t. Excipitur tamen societas generalis omnium bonorum, quæ tacito consensu iniri non potest l. 3. §. 1. ff. h. t. Nihil agunt qui per l. 4. ff. h. t. probare conantur quod societas etiam sine consensu possit iniri, quamvis enim ibi dicatur societatem re & verbis contrahi posse, consensus tamen non excluditur: & indicat tantum

Mo-

INAUGURALIS. 5

Modestinus quod consensus de societate ineunda per res & facta declarari possit : Et bene Cujacius dictam l. 4. ita explicat. Societatem contrahi posse re , id est tacito consensu rebus in commune collatis ; verbis , id est expresso consensu sine stipulatione.

IV.

Coiri etiam potest societas per nuncium & per epistolam , §. 2. *inst. de Oblig. contrah.* Quamvis autem stipulatio contractæ societati subjici potest , tamen stipulatione non potest contrahi. l. 71. *pr. ff. b. t.* Contrahitur societas vel *pure* vel *sub conditio-*
ne. l. 6. *Cod. b. t.* quod si conditio deficiat sine cul-
pa contrahentium , nihil actum erit. l. 52. §. 2. &
l. 1. *ff. b. t.* vel *ad tempus* l. 4. *ff. de condit. insti-*
vel ex tempore , l. 1. *ff. b. t.* Ita etiam societas con-
trahitur , ne intra certum tempus res communis de-
beatur : quæ tamen si justa causa interveniat divi-
dendi , societati dissolvendæ non obstat. l. 14. 15.
16. §. 1. *ff. b. t.* Contrahitur etiam *in perpetuum* ,
id est dum contrahentes vivunt. l. 1. *pr. b. t.* l. 52. §.
9. *eod.* Exemplum societatis quadraginta annorum
habemus in l. 16. §. ult. *ff. de alim. & cibi leg.* Sed
in æternum nulla est societatis coitio. l. 4. §. 1. &
l. 14. *ff. b. t.*

V.

Dividitur societas varie , & primo in *publicam* &

A 3

pri

6 DISPUTATIO JURIDICA

privatam. *Publica* est de rebus publicis ut vestigalibus ; hic referri possunt societates salinarum, auri & argenti aliarumque fodinarum. *I. i. pr. ff. quod cuj. univ. nom.* *Privata* est de rebus privatis. *Private* iterum est vel *universalis* vel *particularis*. *Universalis* est omnium bonorum ; *particularis* certae alicujus rei vel negotiationis. *Universalis* contrahitur vel *simpliciter* quando nulla fit mentio negotiationis. Vel *specialiter* : quando fit mentio tam presentium quam futurorum bonorum. Si *simpliciter*, computantur in illa quæstus quotidiani, non vero fortunæ inopinatae *I. 7. 8. 9. ff. b. t.* si *specialiter*, computantur omnia quæ ex quacunque causa sunt acquisita, quamvis extra societatem, ut hæreditates, legata &c. *I. 73. & I. 3. §. i. ff. b. t.* Non tamen in hanc computantur feuda quæ non sunt communia, tunc enim dominus feudi invititus vasallum acquireret, quod non fieri potest. Secundo dividitur societas in *puram* & *quæ contracta est in diem* & *sub conditione*, quamvis antiquitus disputatum fuerit, an societas *sub conditione* *contracta* valeret, quam dubitationem Imperator sustulit *I. pen. Cod. b. t.* At in *I. i. ff. b. t.* Paulo hæc adscribitur *correctio*, non imperatori. Respondeo quod in dicta lege aut animadvertenda est manus Triboniani, qui nonnulla novi juris subinde legibus addit, aut dicendum quod Paulus fuerit in eorum opinione, qui societatem *sub conditione* *contrahi posse* putabant.

Societatem contrahere possunt omnes qui non prohibentur. Ut primo Patronus cum liberto *l. 2. Cod. b. t.* & duo colliberti. *l. 71. §. 1. ff. b. t.* 2. Fratres cum fratribus. *l. 52. §. 8. ff. b. t.* 3. Pater cum filio emancipato, vel cum eo quem in potestate habet, si modo is habeat peculium castrense vel quasi castrense. *l. 9. pr. ff. de compens.* 4. Maritus cum uxore sua. *l. 16. §. ult. ff. de alim. leg.* 5. Inter eos quoque contrahitur societas qui non conferunt aequales summas; sive quorum alter pecuniam tantum confert, alter nullam: nam ille qui nihil aut minus pecuniae confert, potest supplere opera quantum deest. *l. 5. §. 1. l. 6. ff. b. t.* 6. Filius familias cum extraneo, idque interdum jussu patris. *l. 63. §. 2. l. ult. b. t.* 7. Servus cum extraneo *l. 9. pr. ff. de compens.* & interdum jussu domini. *l. 63. §. 2. ff. b. t.* 8. Jussu alicujus etiam cum extraneo societatem quis contrahere potest. *l. ult. b. t.* 9. Pupillus tutoris auctoritate interveniente. *l. 33. ff. b. t. l. 5. & 9. ff. de auēt. tut.* 10. Minor habens curatorem, consensu curatoris sui. An etiam sine curatore suo? Puto affirmandum; sic tamen ut contractum illum servare non cogatur, per *l. 3. Cod. de in integ. rest. min.* si curatorem non habeat tamen iniire potest societatem, sed laesus restitutionem petere potest. *dicta l. 3. Cod.* 11. Mutus & surdus cum partibus vel loquentibus vel audientibus contrahere possunt. *arg. l. 48. ff. de oblig.* & *act. leg.*

8 DISPUTATIO JURIDICA

124. pr. de reg. jur. 12. Furiosus quoque societatem habere potest. l. ult. Cod. h.t.

V I I.

Contra societatem contrahere non possunt. 1. Furiosus. l. 5. de reg. jur. 2. Prodigus, qui hic cum furioso comparatur. l. 1. ff. de curat. furiosis dand. 3. Pupillus cum extraneo sine tutoris auctoritate. l. 33. ff. h.t. neque cum ipso tutele suo, quia tutor in proprio facto auctorari non potest. l. 1. ff. de auctorit. & cons. tut. Cum autem si plures sint tutores, unus auctoritate alterius a pupillo emere possit, l. 5. §. 2. ff. de auct. & cons. tut. videtur etiam pupillus cum tutele auctoritate alterius tutoris societatem contrahere posse. 4. Pater cum filio, nam inter eos non consistit obligatio. §. 12. inst. de obl. quæ ex delicto nasc. 5. Patronus cum liberto, si libertatis causa ineatur. l. 36. ff. de op. libert. l. 1. §. 7. ff. quar. rer. act. non dat. 6. Neque procurator in negotiis sibi mandatis potest societatem cum alio contrahere, in societate enim res collatae per communicationem alienantur l. 1. §. 1. ff. b. t. At procurator etiam generalis alienare non potest, nisi certa quædam. l. 63. ff. de proc. Aliud est si procuratori specialiter mandatum sit in negotiis mandatis societatem contrahere. 7. Neque cum persona incerta societas contrahitur, cum certæ personæ industria eligatur, §. 5. Inst. b. t. & proinde neque hæres socii socius est, §. 5. Inst. b. t. l. 59. pr. ff. b. t. neque socii adrogator l. 65. §. 11. ff. b. t. neque socii mei socius

cius meus socius erit. l. 20. ff. b. t. l. 47. ff. de reg. jur.
 §. ult. sed ejus tantum qui eum admisit, l. 19 pr. b. t.
 neque enim mihi socius esse potest alius quam quem
 mihi volui socium esse; dicta l. 19. 8. Nec deni-
 que societas iniri potest cum invito. l. 65. §. ult. b. t.

V I I I.

Sequitur ut videamus quarum rerum societas con-
 trahi possit; scilicet *omnium rerum quæ sunt in com-
 mercio*; etiam *operarum*; quæ res & operæ con-
 ferri debent; nam nisi ab utraque parte quid confe-
 ratur, nulla est communio sive societas: si ab una
 parte tantum fit collatio, est donatio, & donationis
 causa societas non contrahitur. l. 5. §. 2. ff. b. t. Ni-
 hil interest quid conferatur, an pecunia ab una par-
 te & opera ab altera parte; an pecunia ab utraque
 parte, an etiam opera ab utraque parte. Requiritur
 tamen ut res sint honestæ, nam rerum in honestarum
 nulla est societas. l. 53. ff. b. t. Sed hic objici potest
 l. 52. §. 16. ff. b. t. ubi communicatio est delicto-
 rum. Respondeo in dicta lege non est collatio ipsius
 rei turpis, sed pecuniae quam sociorum quis acce-
 perat occasione delicti ab extraneo commissi. Imo tur-
 pes societates possunt pro delicti qualitate puniri; uti
 si qui societatem inierunt ad innocentem accusan-
 dum, & ille innocens occisus fuerit, uterque capi-
 te plecti debet. l. 1. §. 1. ff. ad Leg. Cor. de sicar.
 Etiam puniuntur qui societatem contraxerunt ad an-
 nonam suppressandam. l. 2. ff. ad leg. Jul. de ann.
 Etiam advocatus cum cliente de quota litis societa-

B

tem

10 DISPUTATIO JURIDICA

tem inire prohibetur. Sed limitandum, si ex turpi causa ab uno ex sociis quid sit quæsitum, hoc tamen sit commune. *l. 53. ff. b. t.* Quid ergo si ille socius actione furti vel duplum vel quadruplum debeat restituere? an hoc damnum etiam æquale est? Hic distinguendum est utrum reliqui socii sciverint, ex qua causa illud quæsitum sit, & tunc procul dubio etiam ad ferendum damnum tenentur; nam quem sequuntur commoda eum etiam sequi debent incommoda: *l. 10. ff. de R. f.* si non sciverint, eo casu non tenentur. *l. 54. & 55. ff. b. t.*

I X.

Finis societatis est *lucri & damni communicatio*, quæ ita naturalis societati est, ut sine illa consistere nequeat. Improbatur ergo societas illa, ubi quis solus de damno tenetur & de lucro nihil accipit, quæ vocatur Leonina in *leg. 29. §. 2. ff. b. t.* Hic casus quidam examinandi sunt circa lucri communicacionem; aut enim nihil à contrahentibus de partibus actum est, aut partes sunt expressæ, aut quædam partes tantum sunt expressæ. Quoad primum si nihil inter partes convenerit, tum aut collatio facta est æqualis aut inæqualis. Si æqualis, lucri & damni communicatio erit æqualis *l. 29. ff. b. t.* si inæqualis, pro rato collationis erit lucri & damni communicatio *l. 29. ff. b. t.* idem est si opera vel æqualiter vel inæqualiter conferantur. Quoad secundum si partes à contrahentibus expressæ sint, hæ servari debent, quod ita verum est, quamvis inæqualis communica-

tio

tio constituantur in collatione æquali; nam quilibet pacificando rem suam deteriorem facere potest, & tantum prohibetur societas leonina. Objici potest l. 29. pr. h. t. ubi non aliter locum habere videtur inæqualis distributio, quam si inæqualis collatio sit facta. Sed respondeo quod JCtus ibi respicit ad id quod crebrius & regulariter accidit, quod tamen pro regula observar i non potest. Secundo ibi non agitur de conventione expressa sed tacita; nam illa verba (*si vero ita placuerit*) non debent referri ad contrahentes, sed per illa Ulpian. format sibi objectio nem; *dicat aliquis.*

X.

Valet conventio, ut ad unum duæ partes lucri pertineant, & una pars damni, ad alterum una pars lucri & duæ partes damni; imo valet conventio ut unus partem lucri habeat, de damno non teneatur; sed hæc ita intelligenda sunt, ut non fiat communicatio lucri nisi deducto damno, neque damni, nisi deducto lucro, nam in societate in qua computatis omnibus lucrum est, damnum inesse non potest, & contra si damnum sit, lucrum esse non potest, nam facta omnis damni & lucri ex omnibus societatis partibus computatione, si quid deest, solum damnum est in societate; contra si quid superest, solum in ea lucrum est; si nihil neque desit neque supersit, neque lucrum neque damnum est. Etiam valet conventio ut lucrum commune sit, si ab una parte pecunia ab altera opera collata sit: nam opera interdum

12 DISPUTATIO JURIDICA

pecuniae prævalet. Quæritur an hoc casu sors communis erit, ita ut si pereat, cuique sociorum pereat? Negantium opinio verior esse videtur, sed tamen sunt qui distinguunt, cum Grotio, utrum illa opera collata sit cum solo pecuniae usu (si scilicet nihil actum sit inter contrahentes, nam si quid actum sit hoc observari debet) quo casu sors non est communis; vel utrum opera collata sit cum materia ipsa pecuniae, tum vero communis est. Quoad tertium, si distributio in uno casu expressa sit, in altero non, tum quod in uno expresum est, censetur repetitum in altero; nam qui participat de lucro, eum etiam de damno participare æquum est. Poteſt ita quoque coiri societas, ut partes definiantur vel arbitrio socii, vel arbitrio tertii cuiusdam: utrobique tamen res ad arbitrium boni viri redigitur: quin etſi tertii arbitrium sit manifesto iniquum, id judicio societatis reformatur, l. 6. 76. 77. 78. 79. 80. ff. b. t. quod si tertius antequam arbitraretur, decesserit, nihil actum erit. l. 75. ff. b. t.

X I.

Ex hoc contractu nascitur obligatio, quæ socios invicem pari vinculo obstringit, unde ex ea oritur *actio utrinque directa*, nam omnium sociorum æqualiter interest, in aliis vero contractibus secus est. *Actio pro socio est actio generalis, personalis, bona fidei, famosa, quæ datur socio adversus socium ad prestationes personales*; Dicitur *generalis* l. 38. ff. b. t. quippe in hoc judicio ratio habetur omnium

omnium quæ à personis sunt gesta , & hic omnia
judicia specialia possunt intervenire. *Bonæfidei* §. 28.
inst de action. *Famosa* §. 2. *inst. de pæna tem. litig.*
Datur hæc actio ad resarcendum damnum quod do-
lo & levi culpa causatum est. Dubitarunt quidam an
de levi culpa teneatur socius , quoniam socius sibi
imputare debeat , quod socium diligentiores sibi
non elegerit : Sed firmior ratio juris exigit , ut te-
neatur etiam de levi culpa , cum utilitas negotii hu-
ius pertineat ad utrumque contrahentem. *I. 5. §. 2.*
ff. comm.

X I I.

Hæc actio datur socio & ejus hæredibus , *I. 65. §. 9.*
ff. b. t. Licet autem actio pro socio hæredi competit
ad participandum lucrum & alia quævis praestanda ,
jus tamen societatis hæredi non competit , nemo
enim societatem hæredi suo sic parare potest , ut ipse
hæres socius sit *I. 35. 36. 40. ff. b. t.* si autem novo
consensu in ea hæreditate animum societatis inierit ,
sit socius . *I. 37. ff. b. t.* Datur hæc actio etiam patri ,
si filius familias societatem inierit , de eo quod filius
in potestate constitutus gessit : & filio , de eo quod
post emancipationem gessit. *I. 58. §. 2. ff. b. t.* Datur
domino servi qui societatem contraxit: *I. 58. §. ult.*
ff. b. t. Curatori furiosi ; *arg. I. ult. Cod. b. t.* Non
datur autem socio socii , cum non sit socius. *I. 19. 20.*
ff. b. t. Datur hæc actio adversus singulos socios , ut
apparet ex toto hoc titulo ; & adverius plures socios
simul. *I. 22. ff. b. t.* Adversus hæredes *I. 35. 36. 40.*

14 DISPUTATIO JURIDICA

ff. b. t. Datur adversus socii qui filius familias est patrem. *l. 58. §. 2. ff. b. t.* Adversus filium, sive emancipatus sit, sive non *l. 58. §. 2. ff. b. t.* Adversus dominos sociorum servorum. *l. 58. §. ult. ff. b. t.* Adversus eum cuius jussu vel cum extraneo vel cum filio ejus societas contrahebatur, utpote cuius persona in contrahenda societate maxime spectabatur. *l. ult. ff. b. t.* Adversus curatorem furiosi, *l. ult. Cod. b. t.* Adversus pupillum, qui auctore tutori societatem iniit. *l. 33. b. t.* Etiam si unus sociorum totam suam portionem acceperit, & alter suam consequi nequeat, datur huic actio adversus alterum socium qui totam suam partem accepit, ut ea pro rato dividatur.

X I I I.

Haec tenus quomodo societas contrahatur, videamus jam contrarium quomodo distrahitur. Dissolvitur autem variis modis, aut enim solvitur *ex persona*, vel *ex rebus*, vel *ex voluntate*, vel *ex actione l. 63. §. ult. ff. b. t.* Ex persona distrahitur societas, si homines intereunt. Intereunt autem morte tum naturali tum civili. Quod morte naturali socii solvatur societas, id usque adeo verum est, ut ne ab initio quidem pacisci liceat ut haeres in societate succedat *l. 59. pr. ff. b. t.* ne cum incerto vel invito ineatur societas. Et hoc non solum in privatis sed etiam in publicis valet societatibus, nescilicet haeres invitata succedat. Magna tamen est differentia inter societatem publicam & privatam hoc casu. Privata socie-

societas unius solius morte tota dissolvitur , licet plures socii sint superstites , (nisi ea conditione societas inita sit , ut uno ex sociis mortuo inter reliquos superstites tamen duret societas *I. 65. §. 9. ff. b. t.*) at vestigium societas mortuo uno locorum permanet etiam citra pactum illud. *I. 59. pr. ff. b. t.* Atque ideo manente societate haeres succedere in locum defuncti poterit , sed ita si haeres sit idoneus & mereatur in societatem adscisci . Sed hic notandum est , si is mortuus fuerit , propter cuius operam maxime societas contracta sit , aut sine quo eadem administrari non possit , totam tunc societatem corruere .

X I V.

Licet autem morte dissolvatur societas , tamen negotia quae per defunctum inchoata sunt , per haeredem absolvvi debent . *I. 40. ff. b. t.* in quo haeres etiam de dolo tenetur , & ob eum suo nomine damnari potest , auctore Paulo in dicta *I. 40.* Quod Ulpianus negat in *I. 6. §. 6. ff. de his qui not. inf.* ad hunc nodum solvendum anxie laborarunt interpretes . Alii dicunt haeredem non conveniri actione pro socio , sed negotiorum gestorum : alii alia . Mihi verissimum videtur haeredem teneri actione pro socio , tum quod successit in locum defuncti haec tenus , tum quod ea actione tenetur etiam ob debitum defuncti , et si nihil explicuit ; & quod Ulpianus in dicta *I. 6. §. 6.* dicit , quod haeres pro socio suo nomine damnari non possit , hoc pro subjecta materia intelligendum est , scilicet damnari non potest ut infamis fiat

quod

16 DISPUTATIO JURIDICA

quod verissimum est. Et sic hæ leges conciliari possunt. Item si socius ignorans socium mortuum esse, peragat id , cuius gratia societas erat contracta , societas valebit , id est actio pro socio dabitur. *l. 65.*
§. 10. ff. b. t. Diximus in transitu quod uno ex sociis mortuo inter reliquos superstites tamen duret societas , si ita ab initio convenerit. *§. 5. inst. b. t.* Ratio diversitatis inter hoc & pactum de hæredede est , quia socii jam ante ab initio norunt se invicem suamque industriam , sed cuiuslibet socii hæredis futuri personam non ita perspectam habent. Nonnulli tamen Ulpian. ejusmodi pactum improbare putant per *l. 35.*
59. 52. §. 9. ff. b. t. sed ea loca loquuntur de pacto quod hæredem admittit , non de pacto quod continuari societatem inter reliquos socios vult.

X V.

Finitur etiam societas morte civili , id est maxima & media capitum diminutione , quibus homines etiam interire dicuntur , utpote si socius in servitutem redigatur , aut deportetur , utramque enim sequitur publicatio omnium bonorum *l. 8. §. 1. Gult.*
ff. qui test. fac. poss. & is cuius bona omnia publicata sunt , pro mortuo habetur , quia aliis , nempe fiscus , ei succedit in universum ; ideoque publicatione omnium bonorum solvitur societas. *§. 7. inst. b. t.* In minima capitum diminutione ut arrogatione vel emancipatione non ita , nullam enim representat mortem , adeoque per eam societas non solvitur: quamvis autem arrogatus vel emancipatus socii rema-

manent, arrogator tamen non fit socius. *I. 58. §. 2.*
I. 65. §. 11. ff. b. t. Solvitur etiam societas manumissione vel alienatione servi qui eam contraxit, & finita priori societate cum priori domino, inchoatur nova cum novo domino, modo servus in eadem maneat societate. *I. 58. §. fin. ff. b. t.* Ratio diversitatis inter filium familias & servum hæc est, quod filius familias, & dum est in potestate & emancipatus potest obligari, servus vero dum est in potestate non obligatur, sed omnis ejus obligatio vim à persona domini capit; unde placet quando socii eundem servum post alienationem retinent in negotiacione eodem modo quo antea, societatem non solutam sed renovatam esse.

XVI.

Dissolvitur etiam societas egestate unius ex sociis.
I. 4. §. 1. ff. b. t. sive universa bona ejus publicentur.
§. 8. inst. b. t. sive nimio ære alieno gravatus bonis suis cesserit ejusque substantia veneat *§. 8. inst. b. t.* venire enim bona oportet, ut cessione societas distrahitur; nam antequam res sunt venditæ, is qui bonis suis cessit, nondum rebus suis caret, & cessionis eum pœnitere potest. *I. 3. & 5. ff. de cession. bon.* Quæritur autem an sola decoctione solvatur societas cum egestas sequatur decoctionem, an vero ex ui bonis decoctorem antea oporteat. Resp. Eum antea bonis ex ui debere. Dissentit Wesemb. per *I. 4. §. 1. ff. b. t.* ex qua ita argumentatur. Quicquid inducit egestatem id finit societatem; Decoctione inducit egestatem.

C

statem.

18 DISPUTATIO JURIDICA I

statem: Respondeo ad majorem eam non esse veram nisi hoc modo limitetur. Quicquid immediate inducit egestatem, id finit societatem: majore ita limitata, minor, decoctio immediate inducit egestatem, manifeste falsa erit: non enim dum decoquit, sed dum bonis exuitur, egere decoctor incipit. Decoction ergo non proxima sed remotior egestatis causa est.

XVII.

Secundo dissolvitur societas *ex rebus*, quando res cuius gratia societas inita est, interierit, aut in commercio esse desierit *l. 58. pr. &c. l. 63. §. ult. ff. h. t.* ejus namque rei quae non est nemo socius dici potest. Aut si publica aut sacra facta sit. *dicta l. 63. §. ult.* Etiam solvitur si finis negotio ob quod societas contracta est, impositus sit. *§. 6. inst. h. t.* Etiam si tempus sit finitum in quod societas contrahebatur. *l. 65. §. 6. ff. h. t.* Tertio solvitur societas *voluntate*, quamvis enim in perpetuum possit coiri, hoc est quamdiu omnes socii vivunt, societas tamen non diutius manet quam socii in eadem voluntate perseveraverint. *§. 4. inst. h. t. l. 5. Cod. cod.* ideoque abire potest ab ea voluntate *l. 14. ff. h. t.* si sociorum non maneat integer consensus, videlicet si aut omnes consentiant in dissolutionem societatis, *l. 65. §. 3. ff. h. t.* sive unus tantum dissentiat *§. 4. inst. h. t.* quod hic specialiter receptum est, cum in aliis contractibus non obtineat, ubi requiritur ut mutuo demum consensu negotio abeat *§. fin. inst. quib. mod. toll.*

toll. jus autem hoc singulare triplici de causa rece-
ptum videtur, tum quod in societate jus quodam-
modo fraternitatis sit. *l. 63. ff. b. t.* Quodque pa-
rum consentaneum videatur hominem extraneum in-
vitum fratris loco habere: tum quod socii sibi invi-
cem plerumque officia præstant; quodque iniquum
sit, si cuius negotia contra voluntatem ejus geran-
tur: tum quod absurdum sit invitum retinere in com-
munione quæ multas parit discordias. Quæ quidem
postrema ratio ita juri nostro probatur, ut secundum
id ne pactum, quo cavetur ne invitis cæteris à soci-
tate abire liceat, valeat, sed societatis naturæ con-
trarium esse judicetur. *l. 14. ff. b. t.*

X V I I I.

Societati potest vel per se vel per alium renunciari.
l. 65. §. 7. & 8. ff. b. t. Renunciatio est vel expressa,
quæ fit verbis vel nuncio vel epistola, hoc modo:
socius sibi res habeto: vel tacita, quæ contingit re
ipsa; si socius res quas communicare solebat, sepa-
rata agere incipiat, vel si unus judicium dixerit ut dis-
solvatur societas. Requiritur tamen ut renunciatio
sit legitima, non dolo malo, præviso scilicet lucu-
lento lucro: quod si fiat, renuncians quidem liberat
reliquos socios à se, sed ipse non liberatur à sociis,
& ipse tenetur lucrum cæteris communicare, cæte-
ri vero non *l. 65. §. 3. ff. b. t.* hoc contingit si quis
dolo malo prævidens hæreditatem luculentam, re-
nunciaverit societati ut illam solus obtineret; vel si
renunciatio non pervenit ad aures sociorum, vel si

20 DISPUTATIO JURIDICA

fit intempestiva, scilicet quamdiu sociorum omnium interest non dissolvi societatem. *I. 65. §. 5. ff. h.t.* Si autem unius socii tantum intersit, non totius societatis, non videtur intempestiva renunciatio. Nota si in coeunda societate convenerit, ut etiam intempestive liceat renunciare, valet ea conventio *I. 65. in fine §. 5. ff. h.t.* omnia enim in contractibus, quæ substantiam contractus non impediunt per pacta mutari possunt, modo dolus absit. Si ad certum tempus inita est societas, ante tempus illud finitum renunciari non potest. *I. 65. §. 6. ff. h.t.* sed necessitas tamen excusat *I. 65. §. 6.* ut etiam aliae justæ causæ quæ enumerantur in *leg. 14. 15. 16. ff. h.t.* velut si conditio quædam qua societas erat coita, ei non præstatur. vel si ita injuriosus & damnosus socius sit, ut non expedit eum pati. Vel si ea re frui non liceat cuius gratia negotiatio suscepta est, vel si reipublicæ causa diu & invitus sit abfuturus. Quarto dissolvitur societas *ex aetione*, cum aut stipulatione aut judicio mutata sit causa societatis; hoc enim ipso quod judicium ideo dictatum est, ut societas distrahat, renunciatur societati. *I. 66. pr. ff. h.t.*

XIX.

Antequam finiamus, aliquid de sensu & casu *I. 69. ff. h.t.* dicendum est, quæ multos valde cruciavit jurisconsultos. Verba legis sunt. (*Cum societas ad emendum coiretur, & conveniret ut unus reliquis nundinas (id est epulas) præstaret, eosque à negotio dimitteret; si eas eis non solverit, & pro socio & ex*

& ex vendito cum eo agendum est. Prima difficultas est quomodo nundinæ possint dici epulæ , hinc alii pro *Epulas* legunt *Empolas* , ut sic negotiations lucrum significetur, alii legunt *nundinarias epulas*. Sed nulla ratio est quare hanc lectionem mutare aut corrigere volunt, cum non sit novum ut Jurisconsulti impropriè loquantur, & metonomia subjecti pro adjuncto utantur. Sic & Terentius dicit; *no&em habere*, pro copiam corporis per eam no&em. Et nos hodie vernaculè dicimus, *nundinas dare* pro munere nundinali *novum annum dare*. pro munere novi anni. Sed quæ dubitandi ratio de significatione vocis quam ipse Jurisconsultus explicat? Altera difficultas est quid sit à *negotio dimittere*? Unde quidam legunt, *ad negotium admitteret*, sed male. Nam qui dimittit à negotio socios præbitis epulis , intelligendus est reliquos immunes liberosque illo sumptu mittere, quomodo verbum dimittendi passim in jure sumitur. Ultima & quidem difficillima quæstio est, quomodo *actio ex vendito* locum hic habere posfit. In locum *actionis venditi* substituunt *actionem empti*. Sed ne sic quidem tollitur difficultas. Optimus sensus est, sociis reliquis dari actionem pro socio adversus socium qui epulas dare promiserat & non dedit, ad præstandum quanti societatis interest epulas solutas non esse, & actionem venditi competere venditori epularum ad pretium epularum venditarum. Atque ita tota tollitur difficultas.



COROLLARIA.

I.

*Fidejussor acceptus in majorem sum-
mam quam debet debitor principa-
lis , nullo modo tenetur.*

II.

*Per querelam inofficiosi testamenti peti-
tur ipsa hæreditas.*

III.

*Servitus altius non tollendi , & ne lu-
minibus officiatur , sunt distinctæ ser-
vitutes.*

VI. Ser-

I V.

Servitus sine prædiis constitui nequit.


V.

*Socius etiam tenetur de levi culpa, non
de levissima.*

V I.

*An res aliena oppignorari possit ? Ne-
go, vel affirmo.*

F I N I S.



V I

magis etiam sibi quod nescit

non agitur nisi ab animo meo mino
amplius ab

I V

AN S uero iustus regnus mundi

an regnum regni



VI. 30